

MAGNIFICO DOMINO GEORGIO

CHVMERSTAD &c. GEORGIVS IOACHIMVS
MVS RHETICVS S. D.



APVD Homerum senes præstantes consilio, non censent esse Troianos
& Græcos culpandos, qui tam longo tempore de tali muliere dimicent,
Dijs quæ sit pulcro par immortalibus ore.
Et ego ueniam tribuendam esse existimo meis diuturnis laboribus &
multiplici defatigationi, cum opera contemplor studij & industriæ meæ,
Quæ iam nonnulla habent in manibus studiosi disciplinarum Mathematicarum, plura au-
tem adhuc occasionem qua edantur expectant. Sed de his aliorum esse iudicium debet, etsi
mihi profecto concedendum est, Vt hæc placeant atq; pulcra uideantur, non secus quàm
Troiani consilij Helenæ forma atq; nitor cœpit oculos. Quid dicam quântum operæ huic
cognitioni ac scientiæ impenderim, & quid, ut gloriose loquar, quasi ærumnarum exan-
clarim, tanquam Hercules huc illuc oberrans, & non quidem cingulum aliquod, aut poma
quærens, quæ referrem ad meos: Sed de max. & necessarijs rebus ueritatem, quæ iam tan-
quam monstris errorum profligatis conspici & apprehendi posset. Feratur æquo animo
ostentatio hæc mea, non illa quidem ingenij neq; sapientiæ, sed eorum quæ nemo fere solet
inuidere alteri, sudoris, uigiliarum, molestiæ, itinerũ. Quæ quidem meo, ut dicitur, Marte,
& longinqua & difficilia confeci, dum quæro qui me accipiat, cœliq; uias & sidera mon-
stret. Septentriones subij, & inde contrario tractu in Italiam contendi, ubi puer aliquando
cum meis fueram. Quia fama erat de quibusdam eximia. Sed ab his quantumuis celebribus
non multum adiumenti allatum fuit studijs nostris. In Prussia, ea didici atq; percepi de præ-
clariss. arte Astronomiæ, dum uersor apud summum uirum Nicol. Copernicum, quibus ela-
borandis, augendis, ornandis, ut neque uita neque opera unius sufficere possit, ita me pro-
curante iam habent ab ipso autore studiosi harum artium ea absoluta atq; edita, in quibus
utiliter & splendide exerceantur. Atq; hanc nunc indidem promere uoluimus, Ephemer-
idum, id est diurnarum rationum de motibus & locis stellarum expositionem anni appro-
pinquntis LI. Rem imperitis leuem ac paruam, sed quam doctis speciosam & admirabi-
lem uisum iri scio. Ea enim in hac opella solus inter uaria impedimenta & interpellatio-
nes crebras, explicui & primus proposui, quæ à multis ne cogitata quidem, à nemine ad-
huc uisa essent. Neque me fugit quæ de absente quidam locuti, & qualia non tam de me,
quàm de professione hac disciplinarum Mathematicarum iudicia facta sint, & nunc quoq;
fiant. Quæ mea quidem causa interdum iucunda mihi esse solent, tantum abest ut his offen-
dar. Nolim enim, ego neque artem quam factito, neque mea opera probari uulgo, &
ijs, qui & sint & cupiant uideri ignari esse huiusmodi subtilium, ut ipsi aiunt, exquisitio-
num, contentus, ut inquit Horatius, paucis lectoribus, & laudatoribus quos doctrina eximia
instructos & sapientia singulari præditos mirari & cupide amplecti nostra, comperi.
Fortunæ me studiorum communium miseret, & huius consideratio mihi dolorem affert.
Nam Mathematicis disciplinis neglectis, necesse est omnem ruditionem doctrinæ inueni-
tam relinqui, & quasi filicem barbariæ innasci agris Musæ. Sed de his aliàs. Nunc te
uir, magnifice & hæc studia spectant, & ego intucor; Qui inter tot Reip. negotia, ad alia
A ij natus